



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrelii Avgvstini Hippoensis Episcopi Et S. R. E.  
Doctoris Vita**

**Lancilottus, Corneille**

**Antverpiæ, 1616**

Cap. LIII. D. Augustinus omnem cum mulieribus familiaritatem deuitat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42857**

nitudinis mensurâ gratiam pro malefactis rependeret: nam & pro iisdem ad Proconsulem Donatum literas dedit, quibus ne Epist. 127. pœnâ gladij in eos animaduerteret, ipsum orauit. Et laudans Macedonij in promulgandis Imperatoris Honorij edictis manuetudinem, ait: *Apparei in terreni Iudicis* Epist. 52. *cingulo, te non paruâ ex parte celestem Rempub. cogitare.* Nitebatur hæc comitatem & benignitatis studio eos emollire, quos nouerat legū seueritate amplius obdurescere.

## CAPUT LIII.

D. Augustinus omnem cum mulieribus familiaritatem deuitat.

**C**ASTIMONIÆ verò planè deditus, omnes libidinis illecebras, earumque minutissimas occasionses deuitare suadebat: nihil in eis verarum deliciarum vel gaudiorum inueniri: qualescumque autem sint, Lib. De castach. rudib. & quantumlibet delectent, auferre omnia cap. 17. ista unā febriculam; remanere verò inanem & sauciam conscientiam, Dominum sensuram iudicem quem voluit habere custodem, & inventuram asperum Dominum, quem dulcem patrem querere & amare contempst. In quam sententiam adiungo, quæ præclarè cecinit Baptista Mantuanus:

I. Baptista  
Mantuan.

— Non insidiosa voluptas

X 5 Deci-

*Elegans  
voluptatis  
descriptio.*

*Decipiat quemquam; blandâ sub imagine  
semper  
Ingriditur, nardi succos, vnguëta, sapores  
Mellifluos præfert, vultûque applaudit  
amico;  
Sed nihil est sine fraude, latent sub melle  
venena:  
Quæ postquam imprudens biberis, fugit  
illa repente  
Læta dolis, manet infixum sub pectore  
vulnus.*

*D. Augu-  
stini & co-  
ralli simili-  
tudo.*

Vnde sibi tanto diligentius ab huius reni-  
dantis Scyllæ insidiis cauit, quanto incau-  
tius in eam impegerat. Quare non imme-  
ritò eum quidam assimilant corallo, quod  
in mari nascitur, & quoad inibi hæret, per-  
molle est, sed ruboris rigorisq; quem post-  
ea assequitur, expers: verùm aquis extra-  
ctum, cùm id minimus ventus perflauerit,  
durescit instar petræ, induitque colorem  
istum gratissimum, quo vnico pretiosum  
censemur. Eam ob cauissam, ingeniosus ali-  
quis quem aura diuinæ gratiæ, de inquietis  
vndis huius sæculi, ad se pelleixerat, in em-  
blemate quod sibi fecerat, ramusculum ex-  
pressit corallinum hac inscriptione:

— *Puras dum attigit auras.*  
Id ipsum diuo Patri nostro Augustino scitè  
conueniat, qui cum in adolescentiæ freto,  
inter-

interque Manichæorum errores, ceu inter vndas fluctuaret, tam erat mollis & cedens, ut voluptatibus corporis hinc inde rapetur: verum ubi ope diuinâ fuit hisce libidinum fluctibus exemptus, nec non cælestis gratiæ spiramine permultus, instar lapidis induruit, sic ut nullis libidinum insultibus deinceps cederet. Atque adeò sicut anteà consueuerat occasiones quærere turpissimarum voluptatum; sic eas ab hac suâ conversione tantopere cœpit declinare, *ut fe-* Possid.c.26  
*minarum intra domum suam nullam conuer-*  
*sari fuerit passus, ne quidem germanam soro-* Etiam so-  
*rem, quæ vidua Deo seruiens multo tempore sortium de-*  
*vsq; in diem obitus sui (in primo Virginum roris con-*  
sacrarum monasterio, quod Africa ab Au-  
gustino exstructum vidit) *præposita ancilla-*  
*rum Dei vixit: sed nec patrui sui filias, quæ*  
*pariter Deo seruiebant; quas tamen personas*  
*Concilia in exceptis posuerunt. Numquam*  
quoque ad feminas, rogatus, sine testibus Numquam  
clericis intrabat, vel solus cum solis *vm-* solus en so-  
quam est locutus, etsi secretorum aliquid lâ locutus.  
interesset: asserens numquam feminas, cum seruis Dei etiam castissimis, quamquā prætextu amoris spiritualis, multūm conuersari debere: *Nam amor, aiebat, spiritualis ge-*  
*nerat affectuosum, affectuosus obsequiosum,*  
*obsequiosus familiarem, familiaris sàpè ge-*  
*nerat*

nerat carnalem, & ita sit illud, quod à sancto Paulo tam validè reprehenditur, ut cum spiritu quis cœperit, carne consummet. Euitabat igitur omnē feminarum congressum quantum poterat; existimans haud esse tutum, intra urbis portas hostem admittere: sed & omnem occasionem lædendi proximum, & castitatis minimas labeculas quam longissimè Ecclesiasticum fugere debere.

## CAPVT LIV.

*In ædibus omnem luxum, & nouam fabricam auersatur Augustinus.*

Egregias in  
terrā ædes  
auersatur,  
ad cælestes  
aspirans.

**A**DEs quidem, secundum Apostoli cam viuendi rationem, minimè superbas incoluit, luxum in eis omnemque nouitatem auersatus: credo ne vilibus huiuscmodi remoris, altiorum studio rerum animus abstraheretur, qui totus ad æternæ beatitudinis habitaculum adspirabat. Eiusdem ædes, ut Episcopum decet, officiorū ac hospitalitatis ergo cuiuis homini patebant. In eis habebant sibi pauperes largitorem, tutorem pupilli, viduæ protectorem, ægroti ac mœrentes remedium; in quos omnes singularis eius benevolentia liberalitasque enituit. In summâ, totis viribus eò nitebatur, ut cum diuo Paulo ab errore pariter

refi-